



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Arsacij post Ioannem ordinatione, & Cyrino Chalsidonensi episcopo.
Cap. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

quod duobus conciliis erat condemnatus. Proinde Ioannes ab ecclesiastico munere deinceps vacauit, neque ecclesiam adiit. Quam ob causam omnes, qui illi fauebant, acutum ab ecclesia egressi, festum Paschatis in balneis publicis, quae Constantianae nuncupantur, celebrant: atque vna cum illis multi episcopi, presbyteri, alijque sacris ordinibus initiati. Qui ex illo tempore, quoniam separatim in varijs locis conuentus agebant, Ioannitae appellati sunt. Ioannes ad spatium duorum mensium non vnquam prodiit in publicum donec Imperatoris mandato esset in exilium abductus. Tum ab ecclesia abstractus, patriae finibus pulsus est. Eodem die quidam ex Ioannitis ecclesiam incenderunt. Qua quidem incensa, ventus subsolanus grauius spirans, flammam precipitauit in Curiam, sicque ea quoque conflagrauit. Hoc factum est, 12. Calend. Iulij, ad sextum Consulatum Honorij, quem cum Aristaneto gessit. Quibus autem incommodis Optatus urbis Constantinopolis praefectus, religionis professione Gētilis, & propterea Christianis infestus, Ioannis amicos affecerit, & quam grauia supplicia compluribus illorum irrogarit, silentio praetereundum censeo.

*De Arfacij post Ioannem ordinatione, & Cyrino
Chalcedonensi episcopo. CAP. XVII.*

PAUCIS interpositis diebus, Arfacius, frater Nectarij, qui ante Ioannem praecclare admodum episcopatum Constantinopolis administrauerat, iam aetate valde ingravescente (amplius enim octoginta annos confecerat) illius urbis episcopus ordinatus est. Quo quidem propter incredibilem suam mansuetudinem episcopatum pacate tranquilleque procurante, Cyrinus episcopus Chalcedonis, cuius pedem Maruthas, Mesopotamiae episcopus premendo vestigio inuitus laeserat, adeo male eo infortunio affectus afflictusque fuit, ut pes eius putresceret, & propterea necessitate adductus, eum a corpore abscinderet. Neque sectionem semel passus est, sed saepius. Nam mali contagio per vniuersum corpus serpsit, adeo ut alter pes ea infectus, similiter amputaretur. Huius rei propterea feci mentionem, quod erat multis in ore Cyrinum ista perpeffum, quod Ioannem conuictijs exagitauerat, quodque eum contumace, ut a me dictum est ante,

est ante, sæpius vocauerat. Porro cum grando magnitudine inusitata in Suburbiiis Constantinopolis fortè decideret (accidit hoc quidem Prid. Calend. Octobris eisdem Coss. quos paulò ante citavi) percubuit sermo istud, Deo irato propter Ioannem indicta causa abdicatum, contigisse. Hùc sermonem Imperatoris mors, quæ ilico infecuta est, vehementer auxit. Nam quatrduo post delapsam grandinem, è vita decessit. Erant alii, qui dicebant Ioannem meritò propterea abdicatum, quod quãdo Ephesum, quo Heraclidem Episcopum designaret, iter faciebat, tum Nouatianis, tum illis qui Pascha ad decimum quartum diem mēsis primi celebrant, tum aliis nonnullis in Asia & Lydia multas ecclesias ademerat. Verùm vtrum iusta fuerit Ioannis abdicatio, vt illi prædicabant, quorum animos offendisset, vtrum Cyrus debitas conuictorum pœnas dederit, vtrum denique propter Ioannem tum grando deciderit, tum Imperatrix morte occubuerit, an hæc non ob istas, sed alias ob causas, an ob vtrasque Deus ipse viderit, qui occulta intelligit, quiq̃ue de ipsa veritate iustus iudex est. Ego ea, quæ tum crebro hominum sermone ferebantur, literis prodidi.

Quod post Arsacium Atticus in Constantinopolitano throno collocatur.

CAP. XVIII.

ARsacius non diu illum gessit Episcopatum, nam sequenti anno, ad secundum consulatum Stelichonis, Athenij autem primum, tertio Idus Nouemb. mortem obiit. Cum autem de Episcopo deligendo à multis vehementer laboratum esset, & ob eam causam multum temporis præteriret, proximo anno, Arcadio iam Sextum Coss. & Probo primum, Atticus, vir pietate eximius, ex Sebastia Armenia oriundus, monasticum vitæ genus ab ineunte adolescentia excolens, doctrina sane mediocri, sed prudentia naturaliter insita magis Valens, Episcopus Constantinopolitanus creatus est. Sed de eo plura commemorabo paulo post.

De Ioannis, dum in exilio ageret ad dominum migratione

CAP. XIX.

x

Ioannes